

Archiv Nicol von Hennefeld's Diurnal 1656 Jan 11.

Paraphrasis  
**PSALMI NONAGESIMI,**  
Anacreontico Carmine  
adumbrata,

**NICOLAO HENELIO**  
ab Hennenfeld, JC<sup>to</sup>.

*Quum Natalem suum celebraret  
quintum & septuagesimum.*



**WRATISLAVIÆ,**  
Typis Baumannianis exprimebat.  
GOTTFRIED GRÜNDER.





Magnifico, Strenuo, Nobilissimo  
& Amplissimo Viro,

DN. GEORGIO FRANZKE,

JC<sup>o</sup> eminentissimo.

Sacri Palatii Cæsarei Comiti, Cancellario  
Saxonico in Aulâ Gothanâ, &c.

Domino & Adfiri plurimum honorando.

**P**ost septemdecadas dum quintum exordior annum,  
Et Sacra Natali sunt celebranda novo:  
Haut mihi thura satis laudumq; offerre precumq;  
Qui vitam huc nobis protulit usq; DEO.

Respicere ad mortem, numerare & tempora vita  
Corde pio quod nos & sapiente docet,

Divinum Moysis volui quoq; volvere Carmen,  
Qua potui, Latiore reddere idemq; metro.

Nascendo morimur: nec quàm meditatio mortis,  
Decrepito potior convenit ulla seni.

Cui, vita posuit quam Legifer entheus ille  
Humana metam, jam tetigisse datum:

Cui mors ante oculos momentis omnibus errat:  
Nec struit à tergo, ceu juveni, insidias.

Quicquid id est, magne ó FRANTZKI, tibi mittere visum,  
HENELII ut nolis non meminisse tui.

Cumq; humanorum satur, ad cœlestia anbelem,  
Tute preces addas & Tua vota meis.

Θυμὲ βλέψον ἄνω!

-Psalmus

545951

PSALMUS XC.

ᾠδὴ Δαυὶδ.

1.

JEHOVA Sancte, Rector  
J Hominumq; Cœlitumq;  
Supreme, Tute nobis  
Majoribusq; nostris,  
Sese ordine insequutis,  
Sæclis ab usq; primis  
Receptus atq; asylum  
Tutissimum fuisti.

2.

Et Tu quidem prius quam  
Juga montium creares,  
Terramq; subjacentem,  
DEUS ævo eras ab omni,  
Es, omne erisq; in ævum:  
Exordii omnis urus,  
Idemq; firmis expers.

3.

Qui terreâ creatus  
Compage, Te jubente,  
Pulvisculum in minutum  
Abit, atq; eò revertit,  
Tracta unde origo prima est.

4.

Quin mille si vel annos  
Quis viveret: quid illum  
Mora hæc juvet? penes Te  
Haut pluris æstimanda  
Certè, die aut priori  
Cum præterivit, uno  
Saltim aut quadrante noctis.

5.

Nimbi ruentis instar  
Nos abripis repentè  
Quasi somnium hoc & omne,  
Quod vivimus, videtur:  
Herbæq; nos imago,  
Statu haut manentis uno.

6.

Quæ mane nempe floret,  
Viret, vigetq;: falce  
Sub vesperam recisa,  
Nimiove Solis æstu  
Planè arefacta marcet,  
Suo carens decoro.

7.

Vitæ malo fugacis  
Mage flebile est sed istud:  
Quod ira nos furorq;  
Tuus urget usq; & usq;:  
Intusq; corda nostra  
Indefinenter angit.

8.

Delicta quippe nostræ  
Tu cuncta pravitatis  
Acerrimè intueris:  
Introspicisq; in ipsa  
Occulta cordis imi.  
Ut clam licet patratum  
Nihil latere prorsus  
Oculos tuos potissit.

9. Atq;

9.  
Atq; hinc quidē id fit ipsum;  
Tuā æstuate ut irā,  
Citatiore cursu,  
Quam quispiam arbitretur,  
Hæc vita cum diebus  
Abeat fugax: redire  
Nihilo magis sueta,  
Quam vox ab ore lapsa.

10.  
Quasi meta terminusq;  
Mortalibus statuti,  
Decem videntur anni,  
Si septiēs putentur:  
Decem octiesve summum  
Homini valentiori.  
Quod si bona eminenter  
Fuit illa, quanta quanta  
Fuit labore plena,  
Dolore plenā acerbo.  
Quid multa? morte rapti  
Avium instar avolamus.

11.  
Quis at hæc? quis hæc revol-  
Sagace mente? pondus (vit  
Iræ tuæ tremendæ,  
Quam tanta totq; nostra  
Peccata provocarunt,  
Quis lance pendit æquā?  
Quis corde pœnitenti  
Te, ceu decet piumq; est,  
Veneratur ac veretur?

12.  
Fac ergo, fac JEHOVA,  
Sanctissime ô JEHOVA,  
Vitæ ut dies caducæ  
Subindè supputemus:  
Vanissimisq; curis  
Mentem avocare totam  
Discamus: ac salubri  
Curâ hac, Tibi placentem,  
Sapientiam adsequamur.

13.  
Revertere ô JEHOVA,  
Facilis favensq; nobis.  
Quousq; finis iræ  
Nullus tuæ modusq;  
Futurus est? benignis  
Oculis tuere, quæso,  
Solitaq; lenitate  
Tuos juva clientes.

14.  
Post tot jube tenebras  
Et nubila, exoriri  
Lucem novam misellis,  
Vultusq; nos paterni  
Blando atq; gratioso  
Splendore recreari.  
Saturi tuo favore  
Fac gaudio perenni  
Veroq; perfruamur.

15.  
Fac ô dies amari  
Quot atq; luctuosi,

Et

Et cum diebus anni:  
Fuere transigendi:  
Totidem dies & annos  
Hilaresq; prosperosq;  
Vicissim ut exigamus.

16.  
Tua ô stupenda facta  
Tuis sine esse nota  
Servis; suis ut ipsi  
Natis referre possint,

Penito imprimenda sensu:  
Et quotquot inde nati  
Anniserunt futuris.

17.  
Nos, ô DEUS JEHOVA,  
Tuo decore macta:  
Ac cælitus gubernata  
Dii favoris aurâ,  
Quæcunq; cogitata  
Et dicta & ausa nostra.



*Ad Nobilis. & Magnificum*

DN. NICOLAUM HENELIUM  
ab Hennenfeld, JC. &c.

Epigramma.

Aula Cæsarea Comes, ævi Scævola nostri,  
Bresliaci, HENELI, Syndice clare fori:  
Post septem decies, & quatuor insuper annos,  
Nunc Tibi Natalis splendet ab axe  
Novus.  
Æthereum Numen laudo, Tibi cujus amore  
Non oneri, at decori tanta senectâ datur.

Opto

Opto Tibi porrò faciat bene FOVA! Salutis  
Ipsum hoc BRESLAM avidam, crede,

vovere tuæ.

Observantiæ declarandæ  
facieb.

27. Januar. A. 1656.

M. ELIAS MAJOR P. L. C.  
Gymnâsi Vratisl. Elisabetani  
Rector.

Rursus, ô Patrone princeps, sacra lux ortu  
aurco  
Dimovet polo tenebras, quâ sub oras ætheris  
Prodiisti, quæ futuræ læta fortis omina  
Præbuit. Nam Te Statorem litterariæ rei (dum  
Doctus admiratur Orbis, Scævola mq; provi-  
Justa & æqua consulentem sentiunt pasim Bo-  
Mundi & Imperator ipse, Principesq; Slesii, (ni:  
Et Ducatus, perfruuntur consill pollentiâ.  
Mater ast hæc Civitatum grata quas grates tibi  
Debet, hæctenus quod acri pro salute publicâ  
Excubas vigore mentis & catâ peritiâ?  
Magnum id est fatemur, & quò tale pignus rariùs  
Fæne-


Fænerat terris Olympus, hoc habendum  
sanctiùs.

Nos aperta nuncupamus vota summo Numini,  
Istud ut potente dextrâ porrò Palladium asferat,  
Serus & cœlum revisas, perq; totum seculum  
Fas fiet, Tibi mereri taliter, nobis frui.

Nam Senis plus umbra pollet, quàm ferox Juvenum  
manus.

Ex antiquâ pietate  
F.

MATTHIAS MACHNERUS,  
Reipubl. Vratisl. ab expedit. Lat.  
nec non in Judiciis Ecclesiastic.  
& Orphanorum Notarius.



Handwritten text, likely a title or address, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



Fragmentary handwritten text, possibly a name or a short address, located to the left of the circular stamps.

